Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26870
Copyright: Admont, Benediktinerstift

flamme penalis perpetuo ardore dampnare. nobis vero mercedem fidei et devotionis exsolvere.
Que erit gloria et quanta leticia admitti ut videas dominum honorari. ut cum christo domino
deo tuo salutis ac lucis eterne gaudium capias. abraham et ysaac et iacob et patri
archas omnes et apostolos et prophetas et martyres salutare. cum iustis et dei amicis in regno ce
lorum. date immortalitatis voluptate gaudere. sumere illic quod nec oculus
vidit. nec auris audivit. nec in cor hominis ascendit. Maiora enim nos acci
pere. quam quod hic operamur. aut patimur. apostolus predicat dicens. Non sunt condigne passiones
huius temporis ad superventuram gloriam que revelabitur in nobis. Cum revelatio illa ve
nerit. cum claritas super nos illa fulserit dei. tam beati erimus et leti dignatione
dei honorati. quando rei remanebunt et miseri. qui dei desertores. aut contra deum re
belles. voluntatem fecerunt diaboli. ut eos necesse sit cum ipso simul in extinguibili
igne torqueri. Hec fratres dilectissimi cordibus vestris hereant. hec sit armorum vestro
rum preparatio. hec diurna ac nocturna meditatio. ante oculos habere et co
gitatione semper ac sensibus volvere. iniquorum supplicia et premia ac merita iustorum.
quid negantibus comminetur ad penam. quid confitentibus econtra promittat ad gloriam. Si hec
cogitantibus ac meditantibus nobis super venerit persecutionis dies. miles christi
preceptis eius et monitis eruditus non expavescit ad pugnam. sed paratus est ad coronam.
Opto vos fratres karissimi semper bene valere. FRI AD CLERUM :.

CYPRIANUS Presbyteris beatissimis et dilectissimis fratribus salutem. Quamquam sciam
fratres karissimi pro timore quem deo debemus. vos quoque illuc assiduis orationibus
et enixis precibus instare incumbere. admoneo tamen etiam queso religiosam sollici
tudinem vestram. ut ad placandum atque exorandum dominum non voce sola. sed et ieiuniis
et lacrimis. et omni genere deprecationis ingemiscamus. Intelligendum est enim et confitendum
pressure istius tam turbidam vastitatem. que gregem nostrum maxima ex parte popu
lata est. et adhuc usque populatur. secundum peccata nostra venisse. dum viam domini non tenemus.
nec data nobis ad salutem celestia mandata servamus. Fecit dominus noster voluntatem
patris. et nos non facimus dei voluntatem patrimonio et lucro studentes. superbiam
sectantes. exultationi et dissensioni vacantes. simplicitatem et fidem negli
gentes. seculo verbis solis et non factis renuntiantes. unusquisque sibi placentes.
et omnibus displicentes. Vapulamus itaque ut meremur cum scriptum sit.
Servus autem ille qui cognoscit voluntatem domini sui et non paruerit volun
tati eius. plagis vapulabit multis. Quas autem plagas. que verbera non
meremur. quando nec confessores qui exemplo ceteris ad bonos mores esse
debuerant. teneant disciplinam. Itaque dum quosdam insolenter extollit confessio
nis sue tumida et inverecunda iactatio tormenta venerunt et tormenta sine
fine tortoris. sine exitu dampnationis. sine solacio mortis. tormenta que
ad coronam non facile dimittant. sed tam diu torqueant. quamdiu deiciant. nisi
aliquis subtractus divina dignatione. inter ipsa cruciamenta perseverit ad ept'